

sigillatam, quam de novo habuerat ab eodem rege, continentem iuramentum fidelitatis in iure scriptum XXII Q. V 'De forma'¹, et ultra hec quod omnes donationes factas a . . Constantino, qui primam donationem ecclesie in persona beati Silvestri fecit, et ab aliis imperatoribus predecessoribus suis, etiam aliis ecclesiis quam Romane approbat, confirmabat et de novo dabat², specificatis in ipsa littera multis comitatibus, provinciis, civitatibus et terris aliis, et nichilominus cum clausula generali, promittens se infra octo dies, postquam coronatus fuerit, quatuor paria litterarum eiusdem forme per suum iuramentum domino pape daturum et assignaturum. Item quod personas domini pape, vassalorum et devotorum ecclesie ac donationes premissas contra omnes defensaret suis sumptibus et expensis, et plura alia in eadem littera contenta, de quibus non multum curamus, que omnia solenniter iuravit. Et tunc petimus, ut copiam litterarum illarum nobis dare vellet, ut eam vobis mitteremus, si placeret ei. Qui subridens nichil dixit. (19) De matrimonio vero proloquuto inter liberos dictorum regum Romanorum et Sicilie respondit papa, quod nunquam initiaverat aliquid de predictis, sed diu post loquutus fuerat cum eo super illis rex Sicilie et quidam ambassatores regis Romanorum. A quibus audivit papa, ut dicebat, quod quidam cardinalis hoc moverat et scripserat regi Romanorum. Et dicto per eum pluries, an nominaret eum, et diceremus quod sic, nominavit eum nobis, videlicet Iacobum Gagitani. Et post hec dictus rex Sicilie declaravit sibi tractatum dicti matrimonii, asserens quod vobis de hoc petierat consilium et quod volebatis. Cui dixit papa, quod loqueretur cum quibus videret expedire, quia ad eum non spectabat. Veruntamen dixit ipsi regi, quod magna erat persona filia dicti regis Romanorum et quod bene esset posita, si ibi esset, et quod inde multa comoda poterant provenire. Et postmodum, ut dicit papa, reversi fuerunt ad ipsum ambassatores utriusque regis, qui repetebant tractatum dicti matrimonii et specificabant dotem et dotalicium, scilicet petendo maximam summam auri et regnum Arelatense dandum filio dicti regis Sicilie, licet aliqua iura idem rex Sicilie in eo habere deberet, committendo tamen per litteras ipsi pape, quod de dicto auro posset diminuere, si vellet. Et tamen non potuerunt de dote convenire, quia nimiam summam auri petebat pars dicti regis Sicilie cum dicto regno Arelatensi, quamvis papa persuaserit

1) c. 18 C. 22 qu. 5. 2) 1310 Oct. 11 Lausanne.